

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Correctio af  
cum fonte primo

Paulus apostolus inimicus  
nobis factus uera dicens  
saluatoris quia dura uidebantur eloquia,  
plurimi discipulorum retrorsum abierunt.  
Vnde non mirum si non et ipsi uiciis  
detrahentes offendimus plurimos.  
Disposui nasum secare fetentem;  
timeat qui crimosus est.

Quid ad te qui te intelligis innocentem?

De te dictum putas  
in quodcumque uicium stili mei mucro contorquetur.

Ieronymus in epistola ad Marcellam.

Paulus postolus: inimicus, inquit,  
uobis actus sum uera dicens (Gal. 4:16).  
et quia saluatoris dura uidebantur eloquia,  
plurimi discipulorum retrorsum abierunt.  
Unde non mirum est, si et nos uitiis  
detrahentes offendimus plurimos.  
disposui nasum secare fetentem:  
timeat, qui strimosus est.  
uolo corniculae detrahere garrienti:  
rancidulam se intellegat cornix.  
numquid unus in orbe Romano est,  
qui habeat truncas inhonesto uulnere nares  
(Verg. Aen. 6, 497)? numquid solus Onasus  
Segestanus caua uerba et in uesicarum modum  
tumentia buccis trutinatur inflatis?  
dico quosdam scelere, periurio,  
falsitate ad dignitatem nescio quam peruenisse:  
quid ad te, qui te intellegis innocentem?  
rideo aduocatum, qui patrono egeat;  
quadrante dignam eloquentiam nare subsanno:  
quid ad te, qui disertus es?  
uolo in nummarios inuehi sacerdotes:  
tu, qui diues es, quid irasceris?  
claudum cupio suis ignibus ardere Vulcanum:  
numquid hospes eius es aut uicinus,  
quod a delubris idoli niteris incendium submouere?  
placet mihi de laruis, de noctua, de bubone,  
de Niliacis ridere portentis: quicquid dictum fuerit,  
in te dictum putas.  
in quodcumque uitium stili mei mucro contorquetur,  
te clamitas designari, conserta manu in ius uocas  
et satiricum scriptorem in prosa stulte arguis.

Hieronymus Stridonensis, *Epistulae*, 40.1-2  
(CSEL 54, I. Hilberg ed., pp.309-10, ll.16-17, 1-20).